

In Mortem  
PHILIPPI II. HI-  
SPANIARVM RE-  
GIS CATHOLICI,  
Oratio.



VM aliis pluribus, ac in pri-  
mis quidem summis quibusq;  
Regibus, desideranda sit sa-  
lus: tum verò potissimùm iis,  
qui de Repub: præclare me-  
riti semper sunt & fuêrunt.  
Quæ cum immortalis esse de-  
beat, & cum aliquando in vnus mortalis vita sa-  
lus dignitasq; eius versetur, optandum certè est, vt  
non modò florentes & diuturnos, sed si fieri adeò  
etiam posset, omnis interitus expertes Deus Opt:  
Max: patiat. Aut enim non nasci, aut nunquam  
debuisset mori, multos multi arbitrantur. Quod  
vel in hoc vno Philippo, huius nominis secundo  
Hispaniarum Catholico Rege regum, & haud  
scio an



scio an ab orbe condito & hominum maximo  
perspici potuisse quis ignorat? Qui orientem vna,  
occidentem manu tenuit altera, & plurimorum  
regnorum prouinciarumque dominus, in summa  
potestate, summa moderatione animi, nec iam  
verbosa, sed rerum domina sapientia utebatur.  
Cuius aded emortui virtus viuit nihilominus re-  
gia, & sicuti egressum è tenebris lumen, sic cor-  
poris exutus exuuiis, in beatorum mentium fede  
magis elucet. Nos interim Christianos miseros,  
quorum quidam domino, quidam orbatu socio, in  
tanta barbarorum contra nos rabie, tantaque poten-  
tia, in alto ciuiliu bellorum seditionumque fluita-  
mus. Qui toto eo quo regnauit tempore, quod  
certè non modicum fuerat, quæ non dedit signa?  
quæ non reliquit exempla? quæ non expressit ve-  
stigia, virtutis, pietatis, prudentiæ, fortitudinis, &  
mansuetudinis suæ singularis? Ille, quod de Atlan-  
te fingunt Pòetæ, terrarum orbem humeris suis  
Christianum sustinuit; ille paternum imperium, at  
quale & quantum, auxit; ille Christianorum regna  
& prouincias contra Turcas defendit; ille in ori-  
entis & obeuntis solis vltimis religionem Catho-  
licam mirificè propagauit. Cedant huic omnes  
omnium nominum Principes, soli gubernandi ar-  
tium omnium artem & intelligentiam concedant.  
Non Græcorum Agesilaus, non Romanorum aut  
potiùs Hispanorum Traianus, vt in multis paucos  
numerem,



numerem, æqualem gloriæ & æquitatis partem cum hoc vno petant: meliùs is vixit, quàm qui regulas vitæ, olim ille scripsit. Meliùs in tam alta specula tantisq; procellis tot populos rexit, quàm humirepens aliquis ipsum se in pacato textit. Sapientius in vtroq; orbe ius reddidit, quàm legislator iura suis dedit. Plura & difficiliora bella in penicioribus Pallatij sui confecit, quàm in acie non nemo bellatorum gessit. Pacis inter arma dominus; domi hostibus terribior fuit, quàm qui foris longè atque latè vexilla sua circumtulit. In omnibus deniq; temporibus atq; locis talem se præstitit, qualis vix optari nedum sperari alter poterit; non magis ad imitationis exemplum, quàm ad ipsam veritatem historiæ literis monumentisq; publicis posteritati commendandus. Quò magis cum sicuti quidem viuo nullus non habitus honos: sic nunc demum mortuo nulla non debeatur laudatio. Cuperem profectò huius tanti Principis, non iam exornandis, sed enarrandis laudibus, vel aliqua ex parte voluntati parem afferre posse me copiam & facultatem dicendi. Satis enim sit alicui velle, cunctis quidem pulcherrimum fuerit scire, summorum virtuti Principum funebri oratione respondisse. Sed quod in exactioribus quibusq; artificiis vsu venit, vt quò in aliqua re plus diligentia & operæ aliquis posuerit, eo minus id quod sequitur assequatur: hoc & ego



de tanto & tam admirabili dicturus Rege, ne mihi eueniat metuo, & non modò animo, sed corpore toto hanc prouinciam perhorresco. Maius enim quàm infantis, vituperium est præuaricatoris. Quis enim obsecro reperiatur, cuius Philippi secundi Hispaniarum Regis Catholici, virtuti & amplitudini & terra mariq; rebus maximis gestis, par fuerit oratio? Magnos ille, atque haud scio si post hominum memoriam non omnium maximos, habuit maiores sex aut septem Romanos Imperatores; qui, ne vetustiora repetam, à Rudolpho primo Romanorum Cæsare origine tracta, nomen familiamq; suam, longa annorum continuataq; imperandi serie, & incredibili rerum gestarum magnitudine, perpetuò illustrârunt. Ac de Patre quidem ipsius Carolo v. Cæsare, æterna recordatione dignissimo, tot ac tanta occurrunt memoranda, vt percensere oratione quæ gesserit cuncta, factu penè sit incredibile; nefas verò cùm inceperis vel aliqua præterire. Qui cùm duobus minus quàm centum abhinc annis foelici nomine & omine Gandauī natus esset & vigesimum ætatis suæ annum tum temporis vix excessisset, concordibus Electorum Imperii suffragiis, absens licèt, Romanorum Imperator Francforti est declaratus. Nec ita multis post elapsis annis, fortissimo genio ingenioq; ipsius ad maiora, si maiora dici poterant, perpetuò aspirante; orto inter Hispanias Galliasq;



8  
Galliasq; atrocissimo bello, earum Regem Fran-  
ciscum, ad Ticinum prælio victum, captiuum fe-  
cit, & in Hispanias sibi mitti vel quàmprimum  
imperauit. Grata enim præda pro se semper qui-  
busq; visa est militibus, sed multò etiam grata fu-  
erit magis, Regalis personæ ipsismet Principibus.  
Hoc igitur, post longas & varias deliberationes,  
liberè tandem Madrido ire iusso, Carolus Cæsar  
Hispalim, vrbiũ Hispaniæ celeberrimam ditissi-  
mamq; Indica maximè nauigatione effectam, pro-  
fectus est, & demum nuptias cum Isabella Regis  
Emmanuelis Lusitaniæ filia, admirabili pompa &  
magnificentia celebravit; ex qua vertente anno à  
Christo nato, supra mille quingentos septimo &  
vigesimo, Mense Maio, hunc suscepit filium, quem  
patris sui Philippi nomen, & rursus Philippi Iaco-  
biq; Apostolorum circa quod natus proximè fu-  
erat festum respiciens, Philippum appellauit. Est  
enim Philippi & Iacobi Apostolorum ipso anni  
tempore celebritas festi vbiq; lata, sed in Hispa-  
niis ob tot tantasq; victorias Diuino primùm pro-  
pitio numine, postea etiam tutelari Iacobi Com-  
postellani Apostoli nomine in clamato, partas, læ-  
tissima; tum & ipsa Indicæ nauigationis sub Phi-  
lippo primo adinuentæ recordatione, qua in ter-  
rarum orbem tantæ effusæ sunt opes, periucunda.  
Quò etiam vidisses facilius, quantum vtriusq; aui  
& patris merita struxerint huic Philippo gradum  
ad pa-



ad patritum & auitum Hispaniarum regnum, summo cum populi applausu consequendum. Bonum enim amplum, sed multò est meliùs beneuolentia ciuium firmum relinquere filio principatum. Vix igitur pubescere hic Philippus noster cœperat, cum nauigaturo extra Hispanias patre, illa regna gubernanda ab eo obtinuit, & demum cum Maria Lusitaniæ regis filia, in vrbe Salamantina nuptias celebrauit. Quæ Carolum, ipsa in puerperio mortua, enixa est ei filium, principio quidem magnæ fecus ad extremum expectationis. Regum enim nati (vt plerunq; fit) in cunis parentibus voluptati, progressu ætatis plusquàm credibile fuerit, ad omnem licentiam sunt inclinati. Nec mora Smalcadico seu Saxonico bello à Carolo v. Cæsare in Germania sopito, idem ille Philippus ab eo euocatus, & Andrea Auria duce, classe ex Hispaniis uectus, in Italiam primùm demum & in Germaniam superuenit. In quo ipso itinere, qui & quantum vbique habitus fuerit ei honos, longum esset perçensere; summus quidem certè, siue Principum Italiæ occursum, siue splendorem, qui obuiam ei ibant, equitum atq; peditum, siue apparatus & magnificentiam, qua eum excipiebant, urbium intueri uoluisses. Primùm enim alios, demum etiam ipsos se auent mortales cùm inceperint superare. Iam verò cùm à longè prospiceret Cæsar, Hispanias vix ab aliquo alio, quàm à sui generis seminisq; re-



4  
nisq; rege posse aliquando gubernari, non incom-  
modè in Philippi locum filii, in eadem classe navi-  
gare in eas voluit Archiducem Austriae Maximili-  
anum Regem Bohemiae designatum, quem quòd  
vnicè diligeret, Mariam suam filiam in matrimo-  
nium ei promiserat collocare. Philippo interim  
filio, qui iam fortè ad eum aduentabat, Arscota-  
num obuiam misit Ducem, cum non contemnen-  
do equitum & peditum numero, vt non secus ac  
Lucius olim Æmilius Paulum ipsemet triumphar-  
tor deduxisset. Iucundum quippe est parentibus,  
habere filios gloriae suae spectatores. Omitto igi-  
tur qui primùm in Italia Ianuae, qui Mediolani,  
qui Mantuae, qui in Venetorum principatu, qui  
alibi in aduentu Philippi, festi habiti & celebrati  
fuêrunt dies. In Comitatum Tyrolen vt venit, in  
arcu triumphali Roueræ scriptũ illud spectabatur:

*Felix Austriae domus, felicius Romanorum imperium.*

*Felicissimam Christianorum Rempub. trium diuorum*

*Cesarum,*

*Friderici clementia, Maximiliani prouidentia,*

*Ac potentissimi Caroli iustitia; diuorumque Regum*

*Philippi*

*Et Ferdinandi Christianissimorum virtutum & ar-  
morum gloria.*

Inde longiùs proficiscens, multis & magnis via-  
rum difficultatibus per hyberna superatis, Calen-  
dis Aprilis Bruxellanam vrbem inter Cardinalem

Tridenti-



Tridentinum & Philibertum Sabaudia Ducem  
medius ingressus, à duabus verò amitis, vna Leo-  
nora Francia, Maria Hungaria regina altera, in  
penitiora Palatii deductus, Carolum suum patrem  
demissè admodum & reuerenter salutauit. Nullam  
tuum maiorem quàm aduentu Philippi vidisses læ-  
titiā, in qua regali pompa & magnificentia, vnus  
cum altero, tam principum quàm urbium inter se  
decertasset. Cæsar etiam ipse, inter tot spectaculo-  
rum & congratulationum certamina, de concili-  
andis filio principum populorumq; animis maxi-  
mè laborauit, & tandem Augustam Vindelicorum  
venire ipsum voluit; vbi comitiis Imperii omni-  
um frequentissimis habitis, de successore Imperii  
eligendo, licet Ferdinandus frater Romanorum  
Rex superstes fuerat, occultò cum quibusdam  
egit, & interea temporis Archidux Maximilianus,  
multis nec opinantibus, eò etiam ex Hispaniis for-  
tè aduenit. Vehemens hæc & inuidia contentio-  
nisq; plena fuerat disceptatio, & cuius initium  
quàm exitum faciliùs inueniri dixisses potuisse.  
Nam in Maximilianum Archiducem Austriae pluriù  
studiis propendētib, quorum tum dux & auctor  
Mauricius elector Saxonie fuerat nouus & in Cæsa-  
rem parū gratus, nō modò infectis rebus, sed quasi  
etiam exulceratis inter Cæsare & Ferdinandū Ro-  
manorū Regem animis, est discessum; adeò infidū &  
timoris ac suspitionis imperiū est plenum, vt nec in-  
ter fra-



ter fratres quidem omnium coniunctissimum animum fecerit perpetuò æquabilem & nullis offensionibus variatum. Non longo igitur interiecto tempore, eadem illa qua venerat via, Philippus Rex in Hispanias iuit, & gubernacula quæ fratri patrueli & fororis suæ marito commiserat, rursus assumpsit. Connubiis namq; inter se Regum non tam disrupta quàm dissuta amicitia firmatur, sed ius & possessio nihil minus quàm alteri cuiquam conceditur dominandi. Mortuus paulò post Edoardus Rex Anglorum fuerat, & eius soror Maria gubernaculis Regni potita, vltra opes & diuitias, summa prudentia & æquitatis laude passim & vbiq; celeberrima habebatur. Cui cum multi & varii thori proponerentur focii, illa quidem ad nullum vnquam alium, quàm ad Philippum Caroli v. Cæsaris filium, interponente pro eodem illo se & Regnum Neapolitanum ei propterea concedente, animum maximè inclinavit, & certis initis pactis, matrimonio ipsi se coniunxit. Appulit in Angliam ille patris sollicitatus literis, ingenti classe ex Hispaniis vectus, Mense Iulio, anno à Christo nato, supra mille quingentos quarto & quingentesimo, & regni hæredem Mariam, Henrici viij. Regis Angliæ filiam, quæ tota patri dissimilis facta, religionem Catholicam, Cardinale Polo auctore, reducere rursus voluerat, magno virorum nobilium & militum stipatus numero, quorum ta-



men vt promiserat quatuor millia in Belgiū miserat, Vintomium venit, & die D. Iacobo Hispaniarum patrōno sacratio, nuptias cum ea celebrauit. Quo profectō tempore euidenter vidisses, quantum in hæretico regno, re & nomine Catholici regis valuerit auctoritas, cū vix non eodem illo (vt ita dicam) quasi momento, orbis terrarum omnium omni ratione insulā maximam, sub nouo Rege ad religionem Catholicam, quasi postliminio redeuntem conspexisses. quippe multæ multis rebus Insulæ, Anglia illa vna, amplitudine, opibus & populorum frequentia cunctis aliis antecellit. Accidit verò eodem illo tempore, vt Isabella Mariæ reginæ soror, quam illa hæreseos suspectam volebat esse extinctam, eius Philippi regis interuentu seruaretur. Quantumuis licet nec Regi ea misericordia satis postea à suis laudata, neq; Anglis dominatio extitit diuturna: Iam enim eodem illo anno, Mense Augusto, ad patrem profectus, regnorum & prouinciarum eius omnium, ab ipso sibi renunciata suscepit gubernacula, & Regina Maria eius coniuge mortua, Isabella Boleniæ filia, Anglia est potita. Agebat Carolus Cæsar annum tum sextum & quinquagesimum, Philippus vix trigessimum, cū omnium Belgii prouinciarum euocatis Magistratibus, in magna, magnorum virorum & legatorum externorum frequentia, in illo Bruxellani Palatii amplissimo teatro graui, & non sine lachry-



ne lachrymis præmissa oratione, hæc quæ diximus  
regna & prouincias gubernandas, Vnigenæ huic  
filio demandauit, & ipse in religiosam solitudinem  
vltrò secessit, siue quòd gubernandarum molesti-  
arum pertæsus iam fuerat, siue quòd vagam & vo-  
lubilem vulgò appellatam deam fortunam, ab Oe-  
nipontana fuga, & Mettensi oppugnatione irrita,  
saltatorium suum orbem, quòd minùs sælicitatis am-  
plius aliquid sperare posset, vertere iam viderat,  
siue quòd tantæ administrationi publicæ, minùs  
ob valetudinem idoneum se fortè agnouerat.  
Quæ vna omnium res magno habetur in principi-  
bus argumento prudentiæ cuiusdam perspicacis.  
Si enim in priuatis lusibus, quantò magis in publi-  
cis muneribus summi est iudici, sælicitatis & in-  
fælicitatis suæ vices maturè cognouisse, & sene-  
scentem, quod aiunt, equum tandem soluisse.  
Quanquam vel in ea ipsa de qua dixi religiosa so-  
litudine, cùm in quodam monasterio S. Iusti in  
Hispaniis degeret, nihil minùsquàm abiectionem  
aliquam animi præ se tulisse videbatur. Nam &  
huic eidem filio Philippo, post victoriam ad S.  
Quintinum de Gallis partam, num si duces dees-  
sent opera sua vti vellet, significauerat, & omni-  
bus ad eum in monasterium diuertentibus eximiã  
pro sua virili parte liberalitatẽ semper ostenderit,  
& cuidam Capuano illustri viro donatis, à pran-  
dio ad quod illum secũ assidere voluerat, aliquot  
aureũm



aureūm nummūm millibus, hæc inquit pro Cæsare parua, pro Carolo Austrio sat magna, grato accipe animo, fortè subintulerat: quæ omnia vt ante renunciationem, sic & post renunciationem imperii magnum Caroli v. animum proculdubiò arguebant. Aderat tum in renunciatione illa, Maria Hungariæ Regina ipsius soror diu ante Belgarum prouinciarum gubernatrix. Cui Cæsar solennibus gratiis pro nauata egregiè opera actis, Philibertum Sabaudia Ducem, quod non nemini admirationem mouit filii nomine, vt quoque asse-  
disset compellauit. Ipse quidem in editiori loco positus, Philippus verò filius flexis coram patre genibus, Grauellanus Cancellarius, qui diploma illud quod vulgò cessionis dicebant, alta voce prælegebat spectabantur. Quibus ad eum modum sollemnissimè absolutis, pater cum filio inter festos ludorum dies aliquo consumpto tempore, & duabus sororibus quæ regibus olim nupserant secum acceptis, in Hispanias nauigauit, nonnullis arcanis imperii prius filio communicatis: quorum paria aut certè similia scripto comprehensa, quæ Augustæ Vindelicorum grauitè ægrotans, cum visurum se filium non amplius crediderat, decennio ante exarauerat, vulgo etiam nunc circumferuntur. Habent illa multa quæ præsentium rerum & temporum statui minimè quadrauerunt, sed nihilominus tamen ad omnem posteritatem erunt argu-  
mento



gumento magni illius Cæsaris constantis in Deum  
& Rempub. voluntatis, quæ quoad eius fieri po-  
tuit, diligentius filius obseruauit: nempe vt in  
multis pauca referam, Deum vt timeret, religio-  
nem auitam per omnia Regna & prouincias suas  
sanctam totamq; conseruaret, Tridentinum Con-  
cilium continuadum curaret, idoneos & spectatos  
viros Ecclesiasticis muneribus præficeret, oppi-  
gnoratas à se vrbes & regiones, quoad eius fieri  
citiùs posset, ære alieno eximeret, quinquennales  
cum Turca inducias à se pactas seruaret, nuptias  
quoties opus esset ob procreandam sobolem ite-  
raret, Ferdinandum Regem patrum vt patrem  
coleret, Gallis nec hostibus neque hospitibus ute-  
retur, Paulo iij. Pont: Max: eum quem par esset  
honorem deferret, sed res suas non temerè crede-  
ret, Cosmum Medicem Florentiæ Ducem amaret,  
Ferariens à se non alienaret, Mantuanum propter  
Cardinalem & Ferdinandum eius patruos, & pro-  
pter affinitatem nouam ineundam amplecteretur,  
Ianuenses propter insulas Maioricam & Minori-  
cam & Sardiniam, Senarum urbem & Luceñ pro-  
pter Imperii Romani in eas iura quietas esse pa-  
teretur, Venetos humanitate, Heluetios ære in of-  
ficio retineret, classẽ semper instructissimam si-  
bi esse omni ratione curaret, Hispanicas cohör-  
tes, si quid interim illi humanitus accideret, Nea-  
poli Mediolanum deduceret, & si quid fortè in



eum Galli tentare vellent, primos eorum impetus fortiter ferre, & nec iniuriam illis facere, nec illatam pati meminisset. Inferioris Germaniæ prouincias, à nemine externo Principe gubernari fineret, & in sanguinis adeò sui principibus magna ratione & delectu vteretur, Indias populas indies efficere magis & æquabilitate iuris ac iustitiæ curaret contineri. De rectoribus Prouinciarum ne parum neque multum vulgi sermonibus crederet, sed eorum nihilominus actiones & consilia diligenter notaret & obseruaret. Ducem Sabaudia & eius filium, qui magnam calamitatem ipsius causa passi essent, benignè semper complecteretur. Verumtamen belli Gallici mollem omnem eorum gratia in se non deriuaret, nisi fortè gerendi contra eos belli opportunitatem magnam perspiceret, & pariter ab Anglis infestari ipsos intueretur. Quos quidem Anglos suarum partium semper sibi vellet facere, sed absque vlla vel minima suspitione auitæ religionis immutandæ. Hæc multa; alia pii patris monita quoad eius fieri diligentius potuit Rex iste vt diximus obseruauit. Fames interim maxima cunctam inuaserat Germaniã, qua durãte idem Philippus paternæ bonitatis æmulus, in aliorum vsum frumentis aliunde importatis, multa hominum suo sumptu millia liberalissimè sustentauit: Nulla quippe maior habetur magnificentia, quàm in summis opibus, summa; rerum omnium



8

omnium copia pauperum non obliuisci ægestatis:  
Iam verò cum non ita multò post graues ipsum  
excepissent motus, incredibile dictu fuerit, quan-  
toperè eum exercuerint & ab otio ad negotium  
traduxerint. Fatendū enim est quod obscurari non  
potest, hūc Philippum Hispaniarum Regem paulò  
elato ingenio & supercilio principio fuisse: cum  
quidam adultores, domestica iuuenum principū  
pestis Carolo v. patri anteferre eum non dubita-  
rent, quòd è Cæsare, patre Rege natus ille fuisset:  
quibus tanquam Syrenū vocibus captus, cum sibi  
ipse nimium placuisset, aliquando Alberto Mar-  
chioni Brandeburgico manum non porrexit. Qua  
re offensum increpasse ipsum ferunt patrem, quòd  
quibus ille sociis & rerum suarum quasi quibus-  
dam vteretur instrumentis, hos ne illo quidem  
honore Philippus dignaretur. Sed nunc secundæ  
nunc aduersæ nos erudiunt magis res, & sicuti va-  
letudo grauibus superatis morbis iucundior, sic &  
virtus in arduo fit illustrior. Quod in hoc vno Hi-  
spaniarum Rege adhuc ante mortem patris, qui  
non integro biennio in illa religiosa solitudine vi-  
xerat, licuit cognouisse. Nam primū quidem  
contra Paulū iij. Pont: Max: qui Gallorum regis  
Hérici ij. exercitū Guisio duce regni Neapolitani  
causa occupandi, cōtra eum euocauerat in Italia,  
mox & cōtra eosdem Gallos in Belgio se suaq; vi-  
disses tueri non magis foeliciter quàm etiam ani-  
mosè. Om-



mosè. Omnia enim gubernaculorū principia paulò sunt duriora, & cessante præclare meriti parentis obseruantia acrioribus studiis & vigilantia pro se cuiq; filio expedierit tueri dominatum. Proferant tum in Belgio Galli opinione iam longiùs, & quantumuis licèt alieno anni tempore, hyeme in castris diu versati Artesiam diuexabant. Quibus Philibertus Sabaudiaè Dux, cum instructo exercitu, à Rege obuiam ire iussus, ad oppidum vulgò S. Quintini dictum de improviso diuertit, & castra ibidem sua scienter ac prouidè collocauit. Quo loci Henricus Gallorum Rex hoc nomine secundus, Mamoransium senem toto suo regno præcipuæ auctoritatis Ducem, valido cum exercitu, ineunte iam vere, denuò submit. Quem adulta iam messe, commeatum inuehere in oppidum volentem, cùm Sabaudus regis Hispaniarum exercitus imperator aliquoties impediuisset, tandem animis vtrinq; exacerbatis ad generalem conflictum est deuentum; plerumq; enim maioribus leuiora prælia præmittuntur. Quo quidem ipso loco eo euentu pugnatum est, vt cùm Gallici Germanicorum Catafractorum equitum imperum non sustinuissent (qui tum primùm Erico Saxoniae & Gunthero Suarzburgio Ducibus in maiori quàm vnquam antea precio haberi, & vulgò equites atri appellari sunt coepti) & Hispani pedites Gallicanorum sclopettariorum cohortes ce-



hortes celerrimè sclopettis dissecissent, Momarā-  
sio Comitestabili, & Ludouico Gonzaga post Ni-  
uerneñ Duce, Raingrauio item & aliis pluribus  
magni nominis captis, Philippus Hispaniarū Rex  
memorabili victoria de Gallis potiretur, ipso die  
S. Laurentio sacro. Ad cuius rei sempiternam  
memoriam, & grati sui animi erga Deum Opt:  
Max: testificandi ergo, Monasterium vulgò Sco-  
rial dictum admirabili opere & immenso sumptu,  
ex eo statim tempore vt vouerat, ædificare cœpit,  
& ad eam amplitudinem & magnificentiam qua  
nunc spectatur, stupendis & diuturnis susceptis la-  
boribus & infinitis profusis facultatibus tandem  
perduxit. Par enim est admirabilis raritatis Re-  
ges, paria nominis & pietatis suæ signa monimen-  
taq; reliquisse. Sed nondum ea tam graui & peri-  
culosa pugna Gallorum Rex fractus, suorum du-  
cum & militum quàm plurimis desideratis quieuis-  
se videbatur, resumptisq; paulò post viribus nume-  
rosas denuo copias ad Ambianum eduxerat; cùm  
adeò Rex Hispaniarum ipse exercitu ducto in ex-  
peditionem se fortiter illi opposuit & ad accipi-  
endas conditiones pacis ipsum adegit. Quæ ni-  
mirum pax cruenta & diuturna bella inter Hispa-  
nias Galliasq; tranquillarat, accedente maximè  
nouo illo connubiorum nexu, quo Philippus Rex  
regis Galliarum filia & Sabaudis sorore in matri-  
monium ducta, coniungi tandem Gallis se non  
D inuiti



inuiti permisērunt. Tractata ea est pax diu, nunc  
his nunc illis intercidentibus rebus & dubitatio-  
nibus, nec nisi victoris regis in victū maiori quadā  
auctoritate & opinione potentiae stabilita poterat  
coaluisse. A qua Philippus iste in imperii & guber-  
naculorum suorū auspiciis initiis, & vno ferè eo-  
dēq; anno tribus in locis Gallorū exercitibus pro-  
fligatis, & exquisitissima pompa exequiis Bruxellis  
patri peractis, quarum similes Ferdinandus frater  
Augustæ in comitiis & Sigismundus Augustus Po-  
loniæ Rex Petricouix in suis celebrauerat, in Hi-  
spanias nauigauit. eo quidē exitu, vt si S. Sebestia-  
ni quem vulgò vocant portū tempestiuè non atti-  
gisset, præ maxima quæ subsequuta fuerat sequēti  
nocte tempestate, actum proculdubiò de ipso fuisset.  
Verùm cum omnibus Angelos custodes, tum  
videlicet vnctis suis dedit Deus fortiores. Nec mo-  
ra cum Elizabetha Henrici Galliarū regis sorore,  
quam ab illa pace in matrimoniū accipere spopō-  
derat, magnificentissimo apparatu Toleti nuptias  
celebrauit, & mox à gaudio, ad mœstitiā re subitò  
prolabente, de eiusdē regis nec opinata à quodam  
ludicro certamine morte nuntium accepit. Nihil  
enim in gaudiis humanis certum, & quod afferre  
potest interitum, in hoc admouendum risum non  
remere præbueris te spectandum. Ab eo Henri-  
ci Galliarum regis obitu, horribiles primùm qui-  
dem in Gallis demum etiam & in Belgio excitatæ  
sunt tur-



2

sunt turbæ & seditiones, quæ non nisi & graui sum-  
ptu, & longa mora, & dubia cura poterant trauquil-  
lari. Ac vix interim credidisses, quàm in diuiso &  
ad ruinam præcipitato vicino regno, quod ipsum  
maioresque eius exercuerat, & non difficilè occu-  
pari ab eo poterat, Rex Philippus fuerit modera-  
tissimus, & tantùm abest vt hostem vt etiam  
tum necessitas tulerat ipsius egerit defensorem.  
Quibus haud dubiè etiam maiora illis & alibi pro  
Christi gloria & Christianorum salute præstitisset,  
si partim Turcica hostilitate, partim sociorum ma-  
lignitate, partim subiectorum rebellionem, à pio in-  
stituto reuocatus non fuisset. Est enim certissimum  
illo eodem ferè tempore ob ducum suorum, quorū  
maior & potior pars in captiuitatem Turcicam  
venit, ingentem duce Turcarum Darhute cladem  
ad Zerbas pati, & paulò post, ob Siciliam Melitam  
insulam immensis dispendijs defendere necesse eū  
habuisse, & nihilominus tamen laboranti Galliæ  
nunquam defuisse, ac postremò Petro Ernesto  
Mansfeldio Comite Duce validas auxiliares copi-  
as, ad Moncotorum Galliarum Regi submisisse, vt  
verè Catholici re & nomine regis contra hæreti-  
cos officiū expleffet, & pariter se suaq; tecta à vi-  
cino incendio defendisset; omne enim malū vici-  
no malo fit auctius, & quod exilibus progressibus  
fuerit tensum, nisi maturè extingatur excrescit in  
immensum. Erat quidem non nemo, qui orienti-  
bus Bel-



bus Belgicis motibus præcipuæ illarum prouinci-  
arum auctoritatis viros liberaliter ære alieno li-  
berandos, quàm seueritate animaduersionis ad  
officium adigendos regem potius hortabatur.  
Omnes enim qui malè sedent, locum mutare auēt,  
& non tam ratione aut consilio, quàm repentino  
impetu & aliquo alicuius nominis Duce vulgus  
mouetur. Nec deerat fanè hac in parte Rex, tam  
sibi quàm etiam suis vllò modo, & nunc Egemon-  
tano Comiti, nunc aliis ad aulam suam venienti-  
bus, quàm potuit maximè regium animum & be-  
neficientiam declarauit. Sed præ foribus procul  
dubiò tempus iam illud fuerat, quo veteribus  
quorundam flagitiis ita exposcentibus, diuinitus  
punitio noua debebat prouinciæ irrogari. Facit  
enim iusta Dei Opt: Max: indignatio, vt quamli-  
bet non peræquè peccauerint omnes, communi  
nihilominus interitu scelera in omnibus casti-  
gentur. Ventum igitur ad illas vstiones sectio-  
nesq; est, quibus primùm Albanus Dux in Belgio  
cum imperio veniens Aurancio fortè elapso Ege-  
montano verò & aliis captis nonnullos aurei vel-  
leris equites & complures alios nobiles extremo  
supplicio non dubitauit affecisse; siue quòd à Phi-  
lippo rege in commissis id habuerat; siue quòd in  
Egemonthanum Comitem, ob quædam verba, de  
Mettensi oppugnatione irrita in se iacta vetus odi-  
um (vt ferunt) conceperat; siue quòd ita rerum &  
tempo-



temporum illorum; statui ipsius opinione fortè expedierat. Ad Maximiliani quidem Cæsaris aures, vt eius rei peruolauit nuntius, turbatus est aliquantum; & quoniam Opersdorfii ad Danubii ripam non procul à Vienna versabatur, Suendio officii causa ad ipsum veniente, & quid de Belgicis nouis sentiret percunctante, ne Danubium quidem illum sanguinem restincturum esse clarè respondit, & verè. Omnium enim parcè, sed procerum parcissimè sanguis fundendus. Nam quid ab his similibusq; gestis subsequutum fuerit mali res postea declarauit, cùm Albanus vt sanguinarius Dux habebatur dubiæ curationis morbos ad deterrèdos alios violenta remedia protinus adhibenda, & non modò regium thesaurū absorbendum, sed & pauperum sanguinem exsugendum non dubitaret. Qua ipsa re, sic profectò offensus Rex Hispaniarum fuerat, vt cùm aliquando, quod infra dicemus, ob quoddam factum Albano irasceretur, etiam effigiem ipsius ex Palatii penetralibus per fenestram deiiciendam imperauerit; vnde quidam colligunt ipsius regis mentem alienam ab eo consilio semper fuisse; sed cùm secus quàm speraueris res ceciderint, vix aliquis confitetur eius rei fuisse se autorem, tametsi in negotio tam ancipitis contentionis atq; lubrico, lapsum esse, ipsum etiam veteranum ducem qui prodigii loco habeatur; semper enim quàm ante à prætório prætör in



fuo confideratior fit magiftratu. Difpat longè ab  
Hifpaniis Belgium, & feditione nec opinata in  
prouinciis oriente, non modò illarum prouincia-  
rum feditiofos ciues, fed & omnes promifcuè fu-  
fpecti habentur indigenitales. Quò partim aperta  
ignoratione veri, partim nimia cupiditate domi-  
nii, partim fuppreffa voluntariè apud fe notitia re-  
cti, ii qui rebus præfunt in auia aguntur præcipi-  
tes, & femel errore facto, nec propter obftinatio-  
nem fuperbiamq; emendato, in multo maiora gra-  
uioraq; mala indies vehementiùs prolabantur.  
Multò autem etiam experiuntur id magis, cùm  
contemptu gentium omnia expugnatu facilia fibi  
propofuerint, & cùm tum arte tum natura muni-  
tiffimæ arces & vrbes occurrerint iis expugnan-  
dæ. Ex multis enim quæ videbantur imbellibus  
gentes & nationes plures vfu & neceffitate armo-  
rum tractandorum pugnatiffimæ extitêrunt. Quã-  
quam in rebus iis nec aliquid certi, neq; potefte ef-  
fe diuturni; & fœlicitas aliquos ad tempus admi-  
ratores, rebellio omnes ad omnem perpetuita-  
tem fui habet ofores & contemptores. Quò ma-  
gis huius tam diuturni & obftinatiffimè belli gefte  
cum fubiectis nomine, hunc optimum & fapientif-  
fimum Regem fi aliquis taxare fortè voluerit, næ  
haud omnia ipfi, fed partim miniftrorum, partim  
etiam fubiectorum partem aliquam, animi adfcri-  
pferit impotentia, quorum illis fe committere, his  
haud ita



12  
haud ita fidere habuit necesse; qui Deo Opt:  
Max: primùm mox & Regi suo rebelles facti quò  
minus religionis Catholicæ & patrimonii sui de-  
sertor videretur, ad tot tamq; immensos sumptus  
belligerando profundendos aut potiùs in gloria  
Christiani & Catholici nominis collocandos ade-  
gerunt. Egrè enim stationem deserit, qui re & no-  
mine Catholicum Regem se professus tuendam  
susceperit. Accedebat quod præter quòd hæreti-  
corum peruersis conatibus irritatus, Carolo vni-  
gena filio viginti ferè annos nato, spe vnica Regni  
amisso vehementer indoluerat, qui blesus, clau-  
dus, & gibbosus in hâc lucem editus, interfecta vt  
diximus in puerperio matre, de patre quoq; è me-  
dio auferendo vt ferunt cogitabat. Solet enim na-  
tura plerumq; tales foetus ostendere corpore, qua-  
les ingenio & habitu fuerint interiore. Qua de  
ipsius mente, ac in Rempub. ipsumq; se volunta-  
te, cùm ad Pium v. Pont: Max: aliosq; præcipuos  
orbis Christiani principes, Philippus Rex præscri-  
psisset, & quid de vnigena illo filio tot tantorumq;  
regnorum hærede statuere debuerat, sententias  
eorum exquisiuisset; tandem quomodo mortuus  
sit incertum est; illud autem certissimum, quòd  
cùm Ruigomes summus Palatii eius præfectus ad  
ipsum venisset & quædam præfatus fuisset, ad la-  
chrymas eum prouocauerit, cui Epitaphium mor-  
tuo, Hispanico rithmo tale scriptum fuerat:

an audir

Naci



Naci de Aguelo y padre sin segundo  
De tantos Reynos Principe heredero,  
Enchi de miedo y de speranca el mundo  
Iouen ardiente de animo guerrero.

Muerte en vn puncto puso enel profundo  
Las sperancas de tan alto aguero.

O Suerte humana quien enti confia?  
Ayer fui Carlo de Austria, oy tierra fria.

Quod sic Latinè fortassè redderetur :

Natus sum ex auo & patre absque secundo  
Tantum Regnorum Princeps atque haeres,  
Impleui metu & spe mundum,  
Iuuenis ardens, animi bellicosi.

Mors in vno puncto, posuit in profundo  
Spem tam alti augurij.

O sors humana quis in te confidit ?

Heri fui Carolus de Austria, hodie terra frigida.

Pater quidem nec hoc tam inopinato & acerbo filii casu, nec aliis aduersis pluribus, vt potè maxima à Darhute Turca illata terra mariq; suis clade nec Oranum versus ob Assan, Barbarossæ Regis Algerii olim filii in Africam aduentu expeditione, nec Beticæ ob linguæ Arabicæ & vestitus inhibiti vsum, qui magnis thesauris cõstitit motu, nec postremò Melitæ Insulæ ob Siciliam defensione; neq; Galeta à Turcis capta, de pristino animi vigore & statione poterat deturbari. Est enim verè magni & magnifici Regis, vt stupendis extruendis operibus, sic



13

ribus sic & infestissimis quibusq; casibus fortiter  
probari perferendis. Emortua iam Elizabetha  
Philippi Regis coniunx fuerat tertia, qua triduo  
post sepulta, ad Mariæ alterius Maximiliani Cæ-  
saris filia, paterni consilii memor, nuptias prope-  
rauit. Necnon & Carolus Galliarum Rex Chri-  
stianissimus, ad Catherinæ eius sororis alterius,  
quas statim à Spireñ comitiis cum illustri comita-  
tu Cæsar ad maritos allegauit. Quo eodem quoq;  
tempore, Rudolphus modernus summæ gloriæ &  
virtutis Cæsar, cum Ernesto fratre, ex Hispaniis  
ad patrem rediit, & non nemo solitæ Austriaco-  
rum Regum amplitudinis osor, Maximiliano Cæ-  
sari tantū foelicitati fortè inuidit, quòd post Mi-  
stelbachium quendam ditissimum imperii Comi-  
tem, qui Orientis vnā Occidentis Cæsari filiam  
elocarat alteram, nemo illo augustiùs filias elocaf-  
set. Verùm in rebus humanis, nihil vndiquaq; be-  
atum neque perpetuò fluens ad nutum, admodum  
fuerit diuturnum. Nam & illud quidem Regis ex-  
tremum connubium, non admodum in Hispaniis  
magno cummulabatur gaudio, tum ob Mathiæ  
Archiducis Austriae Reginae fratris in Belgium nec  
opinatam profectionem, tum morientibus aliis  
atq; aliis Philippo liberis, & in primis grandiori  
natu filio Ferdinando cuius immaturum obitum  
vt dolerent tulisset, datis tamen per illa sua Regna  
& prouincias litteris, publici luctu significatione  
E  
aut pom-



aut pompa aliqua eius funus cohonestari noluit & in magno dolore magnam moderationem animi præ se tulit, nihil enim est difficilius quàm iustum in se gemitum, casu aliquo recenti & repentino inhibere. His ita gestis in Hispaniis rebus, Selimus hoc nomine secundus Turcicus tyrannus, Cyprio regno Venetis perfidiosè erepto, toti adeò Italiae ipsique orbi terræ ferrum & flammam exitiumq; minabatur. Ad quem reprimendum Pio v. Pont: Max: socialis foederis inter aliquos Christianos Principes auctore, idem Rex inuitabatur. Quo nimirum in societate armorum veniente, eiusq; Ioanne Austrio summæ virtutis iuvene fratre, non modò interesse verumetiam præesse bello annuente, illa tam atrox post homines natos ad Naupactum secuta est pugna, qua Christiani de Turcis memorabili potiti victoria, utinam ita uti ea scire quàm barbaros voluerunt devicisse. Non minus enim laudabile fuerit, victoria scienter de inimicis uti quàm sùdere fugareq; inimicos. Sed ut plerùque fit foelicio ribus progressibus initio factis, sensim sine sensu languescit industria, & nec opinantibus ex vnis alia suggerit Mars certamina impotenter. Per id tempus ultimus Regum Lusitaniæ palmes Sebestianus Rex Portugaliæ occisus fuerat, cum contra Machometanos in Africam cum exercitu profectus, animosius quàm consideratiùs depugnasset.



14  
set. Inter cuius maiores & Castellæ siue Hispaniarum reges, cum perpetuo semper viguerint similitates, simulque affinitatibus & necessitudine interdum etiam iungerentur, Philippus eius Regni adipiscendi talem tamque opportunam occasionem minime sibi prætereundam ratus, primum quidem iuris iustitiæque consultos, ad iurium discutienda dubia consilio suo adhibuit, mox & arma ad illa tuenda expediuit: Regnis enim qua ponderentur statuta, & regibus quibus diiudicentur iura nunquam non defuerint. Fuit tum Ferdinandus Albæ regulus veteranus Caroli v. & eius Philippi filii exercituum Dux, ob sua suorumque non omnia omnium optime gesta, in honesta quadam detentus custodia, ex qua ingruente illo Lusitanico bello, in libertatem positus, summæ rei & militiæ Regio iussu præfuit imperator. Vidisses interim quam magna & subita rerum fit conuersio; cum prægnas necessitas alicuius magni viri exposcit industriam, & bello aut Repub. obeunda auctoritatem. Non enim tam citò summum illud imperium Albano Duci delatum fuerat, cum ab eo, quem paulò ante exosum, & effigiem ipsius ex Palatio Regio videras deturbatam, vim vi vincentem, & Lusitanorum rebellionem agnouisses castigantem. adeo chara & preciosa est virtus, ut etiam alienissimos animo sui aestimatores, ut serò, serò quidem æquiores fortiatur. Quem octogenarium senem bifurcata bar-



cata barba alba, albo equo vectum, eum tam nobilem de Lusitanix regno triumphum, quem maiores ipsius magis desiderare quam consequi poterant, regi suo alicubi conspexisses gratulantem, sic magistratus virum, & locus ac tempus declarat magistratum. Neque tamen adeo multo post, eandem illam quam & ante Albanus Dux expertus Regiam est indignationem, si indignatio dicenda, quae veteris offensae memoria, iusto dolore concitatur. Benefactis enim nunquam perperam gesta humanitus abolentur. Debat is sibi in aliqua qua voluisset domo honestam custodiam in aula elegisse; quam cum forte quaereret, incidit in eius domum quo libertore in Belgio cum bellum gereret utebatur. Diuina quippe nemesis fugientes sequitur, & nemo praeter culpam diuinitus castigatur. Patienter tamen illa fortunae tela omnia, Dux Albanus tulit, & puteum Pharaonis sanguinariumque Ducem appellari vulgo se non semel audiuit, ut magnus & memorabilis & multarum diuersarumque regionum bellis gerendis imperator secus quidem populorum prouinciarumque rector extitisset. Qui quanto quidem beneuolentiam Regiam aucupari magis voluit, tanto & quasi etiam vehementius eius a se animum semper alienauit. Potentes enim raro rogati, nec priusquam sua apte prius reollecti ab iracundia desistunt. Quod vel inde quoque collegisses, cum auleta quaedam in Belgio affabre texta donare



5  
donare Albanus Regi sapius conatus fuisset, & Rex illa contempsisset, nec ex sanguine suorum populorum partu habere quicquam velle respondisset; ille nihilominus vt in templo quodam quod inuisurus Rex fuerat affigerentur, per quosdam frustra licet postulauit. Verum ad propositum reuertamur. Nam ex quo tot tantisque procellis & tempestate iactatum portum capere non posse optimum regem licuit cognouisse, disquirere certe malis remedia ea quibus curari potuissent haud dubie etiam oportebat. Erat in Belgio Comes Nassouius Auriacae Princeps patriae suae fax & incendiū non iniuria dictus, qui apud Carolū v. Cæsarem & hunc Philippū eius filium à teneris educatus, cum malam pro meritis gratiam impotenter retulisset, omnem à Rege Belgicarum prouinciarum cupiuit auellere principatum, & nunc Mathiam Archiducem Austriae Cæsaris, nunc Valesium Alancomum Ducem Galliarum regis fratrem, siue id ferid, siue dicis tantum causa faceret, eius constituere dominum non dubitanter cogitauit. Quidam enim qui per se ipsi nocere non tanto opere possunt, immiscunt alios suae quam semel animo conceperint leuitati. Sed & Galli nullo (vt leuissimè dicam) factio operae precio, ex Belgio in Gallias reuersi sunt, & Aurancius eiusque similes plures tanquam ad scopulos allisi, hoc Dei beneficio saluo & incolumi Rege cuncti adeo perierunt. Et



enim & Aurancius ipse à Rege Hispaniarum proscriptus, mox, & percussori ipsius veterum quorūdam Imperatorum exemplo, magno proposito premio semel & iterum globo frustra petitus ad extremum est interfectus à quodam, qui illa die primum sclopetum exploserat patriæq; tyrannum occisurum se receperat. Quod cum non minùs nauiter quàm animosè executus fuisset, repentina fuga quæ eum in tumultu prodidit salutem quærens fortè captus, & per omnes omnium generum quos in magno animo tulit excarnificatus mortuusque est cruciatus. Mors namq; pro rege & lege vel acerbissima obita, non mors sed vita potius est censenda. Neq; tamen Gallici & Belgici motus sedaciores propterea facti sunt, aut rebellium contra Regem suum infesti animi à proposito destiterunt. Rebellaerat inter vrbes Belgicæ alias nobilitate Emporii clara admodum Antuerpia, qua ad officium reuocanda, quas non adhibuit tam urbanas quàm militares artes, Aloysius Dux Parmensis & eiusdem regis Belgicarum prouinciarum gubernator, sic vt voti sui compos tandem factus, & triumphantis instar urbem ingressus, dimidio minore quàm quæ ex pactione promissa fuerat, accepta à ciuibus pecunia, non modò ordinum sed hominum omnium animos mirificè sibi conciliauerit; largitas enim plures, sed maximè gentium & exercituum decet rectores. Quæ res nescio quam



16

quam appetundi regni suspensionem, ob Lusitaniam, in qua iuris aliquid habere se etiam prætenderat, perditam vulgò ei conflauerat, tametsi subsequentes hominum actiones, quid de præteritis iudicandum fuerit reddunt testatum. Accenso quippe paulò post à morte Henrici Regis Galliarum bello, Hispaniarum Catholicus Rex, Catholicis qui ipsius opem implorabant, nihil minùs quàm deesse voluit, nec vlla alienorum occupandorum cupiditate vel ambitione ductus, sed sola Christi gloria & populorum salute accensus contra Henricum tum Nauarræ nunc Christianissimum Franciæ Regem eundem illum Parmen, in peniciora Gallici regni, cum exercitu misit, qui rebus cum admiratione gestis, deleta apud omnes falsa de se suspicione expectationem etiam superauit. Tum enim re ipsa bellum aliquis gesserit, cum in hostico & contra sui similem administrauerit illud Ducem. Quod non solùm in Parmen sed vel in hoc ipso quoq; Philippo Hispaniarum Rege videre licuit, quando ad Annanum Gallis ipse se opposuit & in Lusitaniã cum exercitu proficisci non dubitauit. Bonum enim est acri consilio, sed non minùs animi vigore constantiaq; polluisse. Quæ qualis & quãta in hoc sene fuerit, vel illud quoq; in multis testatum fecit, quod contra Elizabetham Reginam Angliæ, ab extremis Hispaniæ oris classem miserit, & omnia quæq; tentare non dubitauerit, quan-



quanquam partim hostili partim tempestatis vi  
ea disiecta, magna ex parte perierit, & in varias or-  
bis terrarum regiones milites classariosq; eius  
deportauerit. Consilia enim rerum gerendarum sa-  
lutaria ipsorum quidem Principum, at vnus Dei  
Opt:Max: præstare est euentus. Iam Parmen Duce  
mortuo, qui omniũ sui temporis ducum vt ætate  
fuiſſet minor, æquauerat proculdubio superiorũ e-  
tiam gloriã, paulò post à Fontani Comit̃s in Belgiũ  
aduẽtu, Ernestus Archidux Austriae, Rudolphi Cæ-  
saris frater, etiam superuenit, summa cum ea qua  
viginti ante annos venisse eum expediuiſſet pote-  
state, tum quidem nec iam cum valetudine nec ad  
res gerendas occasione pari, ipso etiam Hispani-  
arum Rege nunc grauissimo articulari morbo, nũc  
motibus Aragoniæ, & nunc his nunc aliis diffi-  
cultatibus vehementer implicato. Quos ipsos  
Aragoniæ motus, quantumuis licet imbecillus  
corpore, magna animi & consilii sedauit firmita-  
te; & si quid antea in pace armatus, tum in armis  
rogatus præclara edidit exempla prudentiæ & for-  
titudinis suæ singularis. Cum poenam rebellionis  
ad paucos, metũ pertinere ad omnes non dubitan-  
ter voluisset; omnis enim rebellio aut ad tempus  
disſimulãda, aut paucorum subita poena acriter est  
coercenda. Sed & Ernestus ille ipse Archidux  
Austriae non diu superstes in Belgio fuit, & frater  
eius Albertus S.R.E. Diaconus Cardinalis, ab hoc  
Rege



17

Rege ex Hispaniis missus, in ipsius locum cum imperio successit. Mirum autem dictu est, ut virtutis, quam vel ipsius cursus ætatis, sæpè videatur magis expeditus. Etenim ut natu fratrum fuerit minimus, minora certè industriæ suæ exempla non dedit; sed ut diu fieret senex, senem quod aiunt maturè agere voluit. Ac primùm Vlixbona contra Anglos, mox & Belgio tuendo, nomen genusq; suum æternitati consecrauit. Cœpit is Caletum primùm, quod cum sub Philippo Galliarum Rege olim Angli eripuissent, tandem hoc Philippo apud Anglos regnante Galli recuperauerunt, vtriusque autem gentis errorem Austriaci correxerunt. Nolo hoc loco immorari diutiùs, & tam Cardinalis cuius obiter facta est mentio, quam ipsius omnia dicta & facta cõmemorare Regis, qui ne tot tantaq; referam alia, ut prudentiam suam sanè illam per insignem aliquando testaretur, Ianuensibus quos ex egentibus diuites fecerat pro pretiosissimis quibusdam peristromatis sibi oblatis, pecuniam intemperantiùs flagrantibus, & quòd ipsius Regis causa tantis sumptibus confecta essent affirmantibus, si mea inquit causa, ostendant & insignia acutissimè responderit; & quando moderationis animi testificandi ergò, de Scouedo quodam suo intimo occiso, cum chartis pictis fortè luderet audito nuntio, haud ita commoueri visus est impotenter; sed num in aula sua defutura etiam esset iustitia, qua-



stitia, quasi aliud quid agens quaesierit. A repenti-  
nis namq; perturbationibus animi, non dicam fa-  
ctu incredibilis, sed difficilis admodum est rece-  
ptus. Quid illud quod cuidam, qui per speciem  
supplicis libelli exporrecti in vallem Iozaphat ad  
iudicium extremum pro quadam iniuria sibi ab eo  
vt dicebat facta ipsum citauerat, ex fuga retracto  
dixerit: Hæc verò inquit fuga, æquitatis contra  
me tuæ, & non omniū optimæ fiduciæ fuerit argu-  
mentū, sed tu videris, per me siue iure, siue iniu-  
ria, quod impotēter sequeris assequāre; & iussit ei  
omnia illa quæ petierat concedi, vt magnanimi-  
tatem suam, & hominis leuitatem declarasset, &  
cū quidam, quod Scorialium vt vocant Mona-  
sterii desiderio tantopere teneretur secretò notare  
ipsum voluisset, ideoque librum quendam totum  
litteris vacuum, cui vnum illud, quod tandem  
Scorialium Monasterium petiturus esset inscriptū  
fuerat fortè ei obtulisset; ille eo inspecto nihil ali-  
ud, quàm contractis humeris, vtinam inquit eti-  
am citò, quàm moderatissimè subintulit. Iam  
cū & alter, quòd à primæuo illo parente Adam  
latius longiusque nemo eo regnasset in aures ipsi-  
us influere voluerat, blandimenta respuens, prorsus  
nihil responderit, promptus alioqui & præacutus  
semper artificio differendi. Nam cū Albertus  
Criskius, Regis Poloniae legatus, aliquando Bru-  
xellis, Barensem & Rossanen principatum ab eo  
sibi resti-



P

sibi restitui fusiùs liberiusq; flagitasset, illeq; num iure iusteq; sibi id deberi, an verò etiam ex benignitate sua concedendum potiùs existimasset, percunctatus ab eo fuisset, Oratore nihil nec prece neq; precio obtinere velle se respondente. Bene habet inquit; Neapoli ergo, in quo regno Ducatus illi continerentur, vter nostrum ius rectius habeat iure experiamur. Quod vt magno magni Regis legati animo & prudentiæ adscribi videatur debuisse, Sigismundus quidem Augustus Poloniae Rex, non agrè se illa carere potuisse nonnunquam commemorabat. Summi enim Reges sibi ipsi imponunt, & non ab aliis imponi volunt leges, neq; tam vrgendo, quàm vel aliquid etiam de iure nostro remittendo redduntur nobis æquiores. Idem verò Philippus Hispaniarum Rex Catholicus quã tenax æquitatis iustitiæq; fuerit, vel illud argumentum à Sancto officio (quod in Hispaniis vocât) ad comparandum vocatum vt iuri iustitiæq; se sisteret, nescio quid sibi maximè necessarium ministrantem & tardantem, ire confestim iusserit. In labore patientia fuit tanta, quanta potest esse maxima, vt potè qui diebus ferè singulis, plures horas ipse manu sua scripserit, dictauerit, legerit, discussisset & terminauerit infinita, etiam minutatim. Nec verò meliorem se tota Hispania, imò & toto suo Imperio videri aliquem voluit, sed vt maximos



ximos quosq; potestate, sic vel inferiores anteire  
coniuncta cum modestia probitate; somni præter-  
rea cibi & potus parcus, in sermone fuerat paratiffi-  
simus. In orationibus ad Deū Opt: Max: integrā  
noctem impiger aliquando transmisit, præsertim  
vbi ad arma & sanguinis effusionē res debebat de-  
uenisse. Multa non necessariò verba facientem a-  
liquem, cum molestia audiuit, & lingua Hispanica  
cū maternā quàm ille intellexisset meliùs nosset  
vtentem, vt sua potiùs vteretur, humanissimè ta-  
men hortabatur. Licentiam & insolentiam omnē  
maximo odio habuit; & quendam qui aduersario  
suo occurrens virgulam, quam in equo gestabat,  
luto tinctam ostendi ei iusserat, cur id fecisset quæ-  
situm, nec satis æquā causam explicantem, nulla e-  
tiā eius rei causa ipsi manifestata, ab aula sua disce-  
dere imperauit. Per risum & iocū nescio quid in  
se scriptū, quod post Cardinalem Spinosam qui  
eius fauore pollebat maximè, tota Hispania Hi-  
spaniarū Rege maior esset nemo tacitus præteriu-  
agniturus proculdubiò verum, si auctorem scripti  
stomachabūdu quæsiuisset. Monacho cuidam, qui  
ipso non agnito structuram Scorialeñ Monasterii  
tanto sumptu erectam, apud eum improbauerat,  
non modicam pecuniam numerari in viaticum ius-  
sit, vt demum amœniora loca inuisisset. Iam  
adeò liberalis fuit, vt præter Reges & Principes  
quibus immensa munera subinde miserat, familia-  
ribus & domesticis suis centena aureūm nummūm  
imò ve-



19  
imò verò & ducenta millia, subinde donauerit, & non vno aut alteri sed pluribus id fecerit, quibus remunerandis, non priùs prædia & possessiones ipsas deniq; dedit opes, quàm aliquot annorum accumulata ex iis pecuniam pariter quoq; aggregasset, quòd diceret aridum illud videri beneficium, quòd prouentus annuos sine numerata simul pecunia indigentibus attulisset. Ad alia verò dicta factaq; ipsius, & tam domi quàm foris gloriosissimè gestas res quod spectauerit, quo loco illud posueris, quòd Seneñ urbem pernitiōsa consilia cum Gallis contra quietem Italiæ agitantem, à patre coërcitã, Cosmo Medici Florentiæ Duci suo, & patris amico fidissimo, anno post patris in Monasterium secessum vt promiserat dare, quòd Cameracũ sub Gallis fortiter recuperare, quòd Genuenũ inter se dissidētes per legatos componere, & quòd deniq; Sabaudia Duci, cuius pater tam præclare de ipso meritis fuerat, quàm alteri cuiquam ambitiosè id expetenti filiã voluerit potius elocare, & quòd postremò Hispaniis Lusitania parta perpetuam securitatē, Galliis intestino bello laborantibus opportuna auxilia, Italiæ quadraginta prope annorum continuam tranquillitatem, cuius erat insolentissima, præstiterit, in orientis & obeuntis solis Indiis religionem Catholicam propagauerit, ingrauescente ætate morti quasi proximus, omnes vicinos Reges & Principes fœdere & amicitia sibi deuinxerit, Cardinali Alberto nondum in sa-



eris exiſtenti optimè de ſe merito vnicè amatam  
filiam deſponſauerit, domi foriſq; omnia ritè con-  
ſtituerit, & demum diem ſuum obierit piè admo-  
dum & religioſè. O Deus Opt: Max: ecquæ non  
debetur, & quæ tandem refertur tibi à nobis gra-  
tia, cuius beneficio, veluti quidam Atlantes orbi  
Chriſtiano ſuſtinendo, nunc & denuò ſuſcitantur.  
Gloriabatur olim illa rerum domina Roma, qui-  
bus ſolis curſus iisdem regionibus imperium ſuum  
contineri. Quid tu Philippe Rex ſi viueres dice-  
res, ſi modò & de te & propter te tuamq; ſolitam  
grauitatē hac in parte aliquid loquerere? qui cū  
nihil Indiarum, nihil Perſidis, nihil vltra Danubi-  
um Romani poſſediſſent, & nihilominus tamen  
tantum ſibi ſemper glorioſi vendicaſſent, tu im-  
menſis terrarum ſpaciis, te tuiſque prolatis  
tacuiſti, & demum trium vlnarum corpus vrnula  
concluſiſti. Sed finis ſit. Recens enim deſuncto-  
rum inuidia, manes & accipitres aues ſemper  
infeſtant. Vos ego vos appello poſteri, veſtrum  
incorruptum iudicium, eius Regiam virtutem  
& animum vltèrius propagabit. Verūm & nos  
quidem, quoad eius fieri maximè poteſt, me-  
mori mente ipſum colamus; & tanto vindice &  
aſſertore libertatis, firmo in Turcam præſidio,  
Europæ ornamento orbat, ad mutuam in barba-  
ros concordiam conſenſionemq; excitemur. Mul-  
ti in omni memoria magni orbis terræ reſtores &  
triumphatores fuèrunt; hoc ab orbe condito ne-  
ſcio ſi



20  
scio si quis fuerit maior & augustior. Plures plu-  
ribus claruerunt rebus; hic optimis & propemo-  
dum vniuersis. Quidam ad imitationis exemplum  
quam ad veritatē historiarū inserti libris magis sūt,  
virtutis viam in hoc imaginē, & quasi adhuc spirā-  
tem in multorum animis effigiem patris, multi vi-  
derunt. Non nemo patrem aut auum, at hic pro-  
genitores suos omnes amplitudine imperiū &  
gloria proculdubiō superauit. Bellator fuit pater,  
at & hic pacis inter arma dominus; defensor reli-  
gionis pater, ac & hic propagator; duxit pater in  
infidos & perfidos copias, hic & duxit & multo-  
ties profligauit. Paccatē si modō paccatē pater  
suos rexit, hic quoad eius fieri per infortunata tem-  
pora magis licuit, texit. Pater imperium factum  
tectumq; seruauit, hic adeō ampliavit; quem nemo  
prosperis rebus exultantem, nemo aduersis lugen-  
tem, nemo Pannico metu correptum, nemo gau-  
dio gestientem aspexit, nemo nisi cū semel  
Regis Arragoniæ cadauer intuitus esset palleſcen-  
tem, nemo diū stomachantem, nemo deniq; vidit  
intemperantiū corridentem. Ne rursus liberali-  
tatem eius prædicare, ne in peregrinos & exules  
beneficiā extollere, ne quid Anglis ob religio-  
nem Catholicam patria pulsis. Quid Gallis? quid  
Germanis fecerit? quantam beneuolentiam partim  
ob eruditionem, partim ob integritatem vitæ,  
Cardinali Polo, quantam Alano Anglis? Quantam  
Cardina-



Cardinali Tridentino, Boromeo, Farnesio, Guastauillano, & aliis infinitis Italis? Quantam Truchsessio & Altempfio Germanis? Quantam Hofio & quantam denique ob virtutem & scientiam militaris rei Vespesiano Gonzaga, quem ex omnibus vnum regnorum Hispanicorum proregem esse voluit? Quantam Arcensibus, Lodroniis Madrucciisq; Comitibus Italis? Quantam Bransuecen Ducibus, Mansveldis Suarcenbursibusq; Comitibus Germanis, Guisus, Gallis, Lascio Polono declarauerit, enumerare me sit necesse; eadem enim crebrius iterata, infordescunt. Quem ego quidem Philippum, Hispaniarum Regem Catholicum, ad hunc vel similem modum te Philippum hoc nomine tertium alloquentem viderere mihi videor. Tertius tu filii ordine & nomine isto tot tantisque Regnis & prouinciis praes meus, quem numerum perfectissimum antiqui olim dixerunt, & in magna veneratione semper & ubique habuerunt. Ego autem in te & per te id ita habere se probatum fore vel maxime spero, opto quidem certe. Sed vide ut Alexandro ipsi magno quam eius successoribus potius sis similis, qui ne omnem comparandam sibi gloriae campum pater ipsi praeripuisset, sollicitus admodum a teneris fuerat; & idcirco quidem vix trigesimo tertio aetatis suae anno exacto, tot tantaque bella confecerat; successores vero Alexandri amplitudini imperii confidentes, desidiosius dissolutique facti sunt, & ideo